

Plant. f. *Capitis Plumieri* & Americanum omnino differant fructificatione a Chrysophyllo descripto, necessarium duxi ut hoc traderetur. Genere distincto.

3. Cum dubio vix careat, quin Plumierus, plantam hanc in omni Americæ regione communem e. gr. in Porto Rico, ubi quoque Nispero appellatur. In Cuba S. Havana, S. Domingo, in Vera Cruce novæ Hispaniæ ubi Sapote audit; nullum proprium genus ex ejus vidi, nisi Achras f. Sapote, cui nostrum adaptandum erit. Character Gen. Pl. 1001. qua fructum omnino convenit, soli loculi quinque Baccæ (Pomi), ut minus distinguibiles non apponuntur. Calyx addita quinta parte nec differt magis. Sola corolla polypetala abest, sed forte minus accurate delineata fuit.

Numerus senarius in flore constans est.

Americanis Hispanis *Nispero* dicitur h. e. Mespilus.

## 62. LORANTHUS. Stelis *Læfl.* Scurrula *Brown.*

1. LORANTHUS racemis trichotomis, floribus æqualibus.

*Planta* parasitica.

*Caulis* frutescens, lignosus, brachiatus, ramis patentibus, basi tubere magno.

*Folia* sæpius opposita, (interdum alterna), ovata vel longæ, integerrima, glabra, coriacea, subsessilia. *Pedunculi* plures, axillares, patuli, sursum communiter bifidi, singuli apice crassiores, trigoni, flores tres sessiles gerentes, minimis suffultos bracteis.

*Flores* luteo-virides.

2. LORANTHUS racemis oppositis, floribus irregularibus.

CAL. *Perianthium* nullum; nisi margo minimus basin floris cingens.

COR. *Petala* sex, linearia, angustissima, ad medium in tubum erecta, superne patenti-revoluta, longitudinaliter concava.

STAM. *Filamenta* sex, linearia, acuta, plana, petalis breviora eorumque basi inserta. *Anthera* lineares, acutæ.

PIST. *Germen* brevissimum, sub receptaculo floris. *Stylus* filiformis. *Stigma* globosum, capitatum.

PER. *Baccæ* cylindrica, oblonga, unilocularis, monosperma.

SEM. unicum, cylindrico-oblongum.

*Habitat* CUMANÆ vulgaris in arboribus.

Stelis antiqui. Viscum.